

& consensum seu licentiam: quia per illam infringitur Lex; per istum intacta manet, ex

terminis patet, & explicat Layman, q. can. 11.

§. II.

Quam simpliciter postulandi sint?

158 In hoc quaesito jam posuimus regulam, illos postulandos esse, qui carent equidem impedimento, sed aliter imperio subiecti sunt. Jam igitur declaratur regula, &

159 Interitur I. Religiosum ad Prælatum alterius Monasterii, sui tamen Ordinis, Postulatione minus solenni assumendum esse per cap. si Religiosus 27. de Elect. in 6. ubi ratio subiungitur: quia Religiosi arbitrium non ex sua (cum velle vel nolle non habeat) sed ex illius, quem vice DEL supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet. Non tamen consensus Capituli, sed solius Prælati in tali Postulatione requiritur, per expressum textum in cit. cap. si Religiosus §. quia verò.

160 Neque existimes cum Immo in cap. cum inter 21. de Elect. n. 4. Religiosum ad Prælatum eiusdem Ordinis extra locum Professionis solenniter postulandum esse, propter textum in cap. Abbatem 4. & cap. quam sit 5. XPIII. q. 2. ubi tunc demum extraneum ad Prælatum Regulares assumi posse, permittitur, quando in gremio vacantis Ecclesiæ nullus idoneus reperitur. Enimverò recitati textus non asserunt. extraneos esse inhabiles ad Electionem passivam, sed convenientiam solummodo insinuant, quod videlicet absque sequiori nota Capitulares non possint ad Electionem extranei confingere, quamdiu vel unus est in Capitulo vacantis Ecclesiæ, qui requisitis Prælatum decoribus resplendet, ut jam ex cap. cum nobis 19. & cap. cum inter 21. de Elect. expositum est in cap. 1. n. 245. & seqq.

161 Quod etiam collimant textus in cap. cum dilectus 8. de Consecrad. cap. Abbate 25. de V. S. in quibus supponitur, consuetudine vel præscriptione effici posse, ut Conventuales unius Ecclesiæ Prælatum ex alia Ecclesia eligere teneantur: quod tamen supponi non deberet, si extranei ad Prælatum sui Ordinis impedimento quodam laborarent, cuius obstaculo non eligendi, sed postulandi forent solenniter. Consentient Panormitanus in cap. cum inter n. 8. Barbosa ibid. n. 2. Passerinus de Elect. cap. 24. n. 42. & cap. 25. n. 649. & seqq.

162 Interitur II. Religiosum ex Ordine non-Mendicantium non tantum ad Episcopatum, sed etiam ad Prælaturas alias Sæculares, curam animarum habentes, non esse solenniter postulandum. Cum enim ex Clem. cum rationi 1. de Elect. & cap. nullus 28. §. ad dignitatem eod. in 6. Religiosus quilibet ad Episcopatum sit verè eligibilis, eò quod summa perfectio, in qua convenit Episcopos esse positos, non ab aliis facilius, quam Religiosis, in via & semita perfectionis ambulantiibus, addiscatur; & ista de causa tum ex aliis, tum præcipue ex Ordine Benedictino, tot sanctissimi Prælati & alibi & in Germania Cathedrali-

bus & Metropolitanis Ecclesiis fuerint præpositi. Cumque insuper Religiosus ex Ordine non-Mendicantium nullò Jure prohibeatur, ad Prælaturas alias Sæculares promoveri, veluti supponere videtur Bonifacius VIII. in cap. quorundam 24. §. circa Religiosos §. ad Prælationis qualibet de Elect. in 6. & docent Glossa in cit. cap. §. qualibet & in cit. Clem. §. sacularis, Sylvester verb. Religio 7. q. 4. & 6. Rodriguez tom. 1. Regular. q. 34. art. 3. Gonzalez in reg. 8. cauteh. gloss. 7. n. 51. Wiestner ad tit. de Elect. n. 520. Sancti Religiosi ex Ordine non-Mendicanti ad Electionem passivam nihil deest, quam legitimi Superioris consensus. Quare non solenniter sed minus solenniter, & simpliciter est postulandus.

Equidem Authores reperias, qui negent, aliquem Religiosum ad Sæculares Prælaturas, exceptò Episcopatu, eligi posse, permoti textu cit. Clem. cum rationi 1. de Elect. ubi rationem esse congruam generaliter dicitur, ut homines disparis Professionis vel habitus simul in eisdem Monasteriis societentur; ideoque prohibetur, ne Religiosus aliquis in Abbate vel Prælatum alterius Religionis vel habitus (præter Episcopatum, qui in fine hujus textus excipitur) de cætero eligatur. Ita Hostiensis in cap. quod de Elect. de Statu Monach. n. 16. Joann. Andreas ibid. num. 5. Suarez tom. 7. de Relig. lib. 3. cap. 19. n. 12.

Sed meminalite oportet, in cit. text. 170 tu non esse locutionem de Prælatibus Sæcularibus, Sed Regularibus: indeque argumentum à consensu contrario potius pro quàm contra Prælaturas Sæculares ita formari posse, ut Religiosus quidem nequeat assumi ad Prælatum alterius Ordinis, licet Prælatum Sæcularis neutiquam sit incapax. Nec exceptio de Episcopo firmat regulam in casibus non exceptis: cum enim Prælatum Sæculares nunquam fuerint sub regula; & exceptio de Episcopis continetur sub regula, quatenus etiam Ecclesia Cathedralis potest esse Regularis, sicut & Ordinis diversi ab eo, quem Religiosus, in Episcopum eligendus, erat professus: argumentum de casibus exceptis ad non-exceptos non ritè hic applicatur.

Interitur III. Abbates vel Præpositos, ab una Abbacia vel Præpositura ad aliam, aut etiam ad Episcopatum transferendos, Postulatione simplici indigere per cap. si Abbatem 36. de Elect. in 6. Ratio est: quia Abbates & Præpositi nequeunt sua Monasteria absque præcitu Superioris, Episcopi, Summi Pontificis, vel Legati à latere deserere cap. Abbas. 8. XPIII. q. 2. cap. admonet 4. cap. ult. de Renuntiati. ne videlicet mercenariorum more, aut laboribus fatigati, aut molestiis pressi, aut ambitione lactati fugere, gregem suum indefen-

sum

sum relinquere, ac Ecclesiæ, ad quam solò suo consensu non pervenerunt, solò suo consensu abdicare videantur. Gonzalez in cap.

174 quanto 3. de Translat. Ep. n. 6. Unde etiam consuetudo contraria, quæ aliquis sine autoritate legitimi Superioris ab una Prælatura migrat ad aliam, ceu corruptela proscibitur in cap. cum venerabilis 7. de Consecrad. ubi rursus

175 Gonzalez n. 6. & seqq. Ut igitur Prælati Regulares, relicto suo, alterius Monasterii regimen suscipere possint, Postulatione ad Superiorem immediatam pro obtinendo consensu opus est.

176 Si putes, Abbates vel Præpositos Regulares, maxime Benedictos, non tantum simplici, sed etiam solenni Postulatione ad alias Prælaturas transferendos esse, ea de causa: quia adinstar Episcoporum suis Ecclesiis cum annulo deponderi, & matrimonialiter conjungi solent ar. cap. ne pro defuncto 41. de Elect. ubi æque Regularis ac Cathedralis Ecclesiæ per obitum Prælati videtur dicitur.

177 Falleris. Nam vinculum, quod Prælatum Regularem suæ adstringit Ecclesiæ, non ex vero, sed improposito matrimonio vel quasi-oritur. Cujus ratio est: quia Prælati Regulares, licet potestatem Jurisdictionis quasi-Episcopalis suis Monasteriis habeant, attamen potestate Ordinis, quoad plurimos & præcipuos actus, destituti; neque ipsa Jurisdictionis potestate ex officio pastoralis, ad hoc Divinitus instituti, sed potius ex indulgentia & dispensatione Pontificia sunt præditi. Ergo matrimonium spirituale proprie tale, sicut Episcopi, non habent. Confer dicta in n. 104. Ergo non solenniter, sed simpliciter postulandi sunt. Panormitanus ad cap. ult. h. t. n. 8. Passerinus d. cap. 24. num. 39. Laymann q. 12. P. Engel h. t. n. 9. in fin.

178 Quæres incidenter: an Religiosus ex Ordine Benedictino ad Prælatum Ordinis Cisterciensis solenni, an minus solenni Postulatione, transferendus sit?

Resp. transferendum esse minus solenni Postulatione. Ita Illustrissimus noster Joannes Caramuel Theol. Regul. disp. 35. art. 8. n. 389.

179 Ratio punctualis est: quia, qui transfertur à Monasterio uno ad aliud ejusdem Ordinis, non est solenniter sed minus solenniter postulandus ex n. 159. nullà siquidem dispensatione, sed nudò Superioris assensu totum negotium absolvitur. Atqui Monasteria Benedictinorum & Cisterciensium sunt ejusdem Ordinis. Ergo &c. Minorum, si neget, aut

180 capere non possis, ostendit laudatus Caramuel partim rationibus positivis cit. disp. art. 8. d. num. 383. partim negativis art. 1. & seqq. à n. 356. quia videlicet tota Ordinis diversitas deberet provenire vel ab exordio & institutione S. Roberti; vel à tempore exemptionis; vel à conditionibus statutis; vel à mutatione habitus. Sed neutro ex his modis diversitas

181 introducta est. Nam D. Robertus, & in Tornodorense & in Molismensi Monasterio

Ordinem S. Benedicti professus, eundem non mutare, sed renovare, atque ad primum rigorem Cistercii revocare voluit. Dein de exemptio tam parum Cisterciensis, quam parum Cassinensis, Vallisoletanus, aut alios exemptos, à Benedictinis dividit: cum, salva cæteroquin Regula, præter immediatam subjectionem erga S. Pontificem, nihil operetur. Ad hæc novæ constitutionis non eò tendebant, ut diversum quid à scopo Regulæ Benedictinæ Cisterciensis introducerent, sed potius ut propius ad illius centrum manerent: quemadmodum in singulis ferè Monasteriis Benedictinis speciales observantia reperitur, magis ad conservationem quam mutationem Regulæ collimantes. Insuper ex triticissima gnoma habentes non facit Monachum, sed Monachus facit habitum; præsertim Benedictinum, quem de colore causari noluit Sanctissimus Pater in Reg. cap. 5. Ergo substantialiter unus idemque est Ordo, Benedictinorum & Cisterciensium; nec tam nova familia est Cisterciensis, quam potius antiquæ Benedictinorum familiae nova filia & congregatio. Ergo qui à Monasterio Ordinis Benedictini ad Abbatiam Ordinis Cisterciensis transferendus est, non solennis sed simplicis Postulationis via incedere debet.

Nec desunt exempla, quibus hæc veritas roboretur. Nam prætermissis, quæ extra Germaniam accidunt, memorat præfatus Author cit. art. 9. à n. 391. in nostra Germania Illustrissimus & Reverendissimus D. Antonius cognomento Wolstrat, Princeps & Episcopus Viennensis, Ordinem Cisterciensem ab initio in Monasterio ad S. Crucem inferioris Austriae professus, postea Abbatie ejusdem Ordinis in Monasterio Hilariensi, vulgò Willering; exinde Abbatie Ordinis S. Benedicti in Celeberrimo & Florentissimo Abbatario Cremifanensi Austriae superioris præpositus, ac demum ob incomparabiles naturæ & gratiæ dotes ad Episcopatum & Aulam Viennensem assumptus est. Ex eodem S. Crucis Monasterio Mathias Balus ad Archi-Abbatiam S. Martini in Hungaria Ord. S. B. transeptus est. Ipse Caramuel de se proprio restatur calamò d. l. sub n. 392. quod ex Monacho Cisterciensi primitus creatus Abbas Melrosensis; postea Dissenbergenfis; dehinc, absque ulteriori dispensatione, Benedictinis Monasteriis in Monasterio Pragensi & Viennensi, præfectus fuerit. Hæc incidenter, sed non extrarhombum. Jam

Interitur IV. Clericos beneficiatos unius Diocesis ad Ecclesiæ & Prælaturas alterius Diocesis minus solenniter esse postulandos. Ex quo enim absque licentia Episcopi Diocesanique ad aliam Diocesan transire possunt cap. Episcopus 37. VII. q. 1. neque beneficium, antehac possessum, resignare cap. admonet 4. de Renuntiati. non possunt absolute eligi, sed simpliciter seu minus solenniter postulari debent.

Bbb

§. III.

§. III.


De Forma Postulationis simplicis.

- 190 **I**n Postulatione simplicis videndum, an illa statim ad Superiorem dirigatur, ad petendam licentiam; an, facta jam collegiali designatione personæ eligendæ. Si prius; nil speciale desiderat. Si posterius; in hac designatione eadem omnino forma, quæ in Electione, servari debet. P. Engel ad h. t. n. 9. Ratio est: quia Postulatio simplex habet pro suo objecto personam habilem, sicut Electio: unde non odium, sed favorem Juris, atque ad eam requisita, eundem votorum numerum, eandem regulas habet, quas Electio.
- 191 **L**ego tamen hac in re notabilem constitutionem Bonifacii VIII. in cap. quorundam 24. de Elect. in 6. quæ duas partes complectitur. In prima disponit de Religiosis Mendicantibus, & sancit, ut nulli Religioso Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini aut quorumlibet Mendicantium Ordinum ex Electione, Postulatione, provisione, seu vocatione ad aliquam extra administrationem sui Ordinis Prælaturam, in discordia de se factâ, seu de cetero acquiratur: nec eorum aliquis tali Electioni, Postulationi, vel provisioni, aut vocationi quòquò modo valeat consentire, etiam si Magistrum, aut Ministri, vel Prioris Generalium eorundem ad id accesserit licentia vel consensus. In secunda parte agit de Religiosis aliis, cujuscunque conditionis vel status existant, ac præcipit, ut nec ipsi Electionibus, Postulationibus, provisionibus, aut vocationibus, à minore parte numerò ad Prælationes quolibet de se factis (quæ hoc ipso, quod à minori parte processerint, nullum præteritus tribuant ius eadem solum audeant prætere consentium, etiam si super hoc assensus vel licentia suorum intervenerit Prælatorum.
- 194 **C**ircaprimam constitutionis partem ambiguous est intellectus verborum in discordia; an nimirum omnibus Electionibus suam accommodare consensum prohibeantur Religiosi Mendicantes, in quibus unanimiter omnes, nemine excepto, in electum vel postulatum vota non contulerunt; an illis duntaxat, in quibus majora quidem suffragia stant pro electo vel postulato, minor verò pars, aut saltem unus, ante vel in ipsa publicatione, reclamat?
- 195 **P**rior explicatio Lambertino, & Sanchezio, quos citat Clariss. P. Wiestner de Elect. n. 25 1. posterior Glossæ in cap. ubi periculum 3. §. in principio de Elect. in 6. Laymanno in cap. in causis 30. X. eod. n. 4. P. Wiestner cit. l. n. 25 3. ardet. Quæ mea sit sententia, ex cap. priorè n. 497. relucet.
- 196 **C**irca alteram recitatæ constitutionis partem non adeo pervium & perspicuum est, quasnam Electiones vel Postulationes intellexerit Bonifacius? Ratio dubitandi est: quia jam aliunde, nimirum ex cap. quia propter 42. cap. Ecclesia 48. cap. in genesi 5. de Elect. constat,

Electionem (& multò magis Postulationem) à minori parte factam, nullius esse valoris, nullumque jus electo vel postulato tribuere posse. Putarem de illis Electionibus vel Postulationibus Religiosorum non Mendicantium constitutionem Bonifacianam exaudiri debere, in quibus Electio vel Postulatio non-solenis concurrat cum Postulatione solenni: si enim contingeret, aliquem Canonicum Regularem & simul Benedictinum postulari ad Prælaturam alterius Monasterii Canonicorum Regularium, & ex 24. Electoribus à tredecim suis vota in Benedictinum, & novem in Canonicum Regularem extraneum dirigi, ex neutra Postulatione jus postulatis questum esse, censerem. Non ex Postulatione solenni, quæ Benedictus in Præpositum alterius Ordinis petitur: quia ex dictis à n. 173. deberet habere duas tertias votorum, hoc est, sexdecim. Non etiam ex Postulatione insolenni, quæ Canonicus Regularis extra locum Professionis in Præpositum Canonicorum Regularium desideratur: quia postulatus foret à minori parte; & consequenter autoritate cit. cap. quorundam 24. de Elect. in 6. ne quidem præhabito proprii Superioris assensu consentiendi licentiam haberet. Ex quo responso ad dubitandi rationem absque longiori indagine colligitur.

Non pauci cum Glossa in cit. cap. §. quolibet arbitrantur, allegatam constitutionem etiam ad Prælaturas proprii Monasterii, adeoque ad Electionem propriè dictam extendi: tum quia expressa & distincta fit mentio de Electionibus; tum quia in genere de Electionibus ad quolibet Prælatum est sermo. Quibus tamen calculum meum haud dedico: quia prior constitutionis pars de Electionibus & Postulationibus Mendicantium ad Prælaturas extraneas per verba formalia & disertam rationem coarctata; & posterior illius pars per particulam copulativam quoque in ratione declarationis cum priore connexa fuit. Cur? Ut sciamus, utrobique de eodem objecto discursum formari. Quòd autem mentio fiat de Electionibus, nil impedit: hic namque terminus in acceptione Juris pro subiecta materia quandoque soli Electioni in specie, quandoque etiam, imò plerumque, Postulationi simpliciter adaptatur per cap. si Religiosus 27. & cap. si Abbatem 36. de Elect. in 6. Quòdve præterea in genere de Electionibus ad quolibet Prælatum ab initio sermo fit, similiter nil efficit: quia subleque locutio terminum generalem abundè restringit ad Prælaturas extraneas, dum de illis Prælatibus differit, ad quarum acceptionem ex parte Religiosorum præcedere debet assensus vel licentia Prælatorum.

§. IV.



§. IV.

De speciali Effectu Postulationis simplicis.

- 204 **P**ostulatio insolennis vel præcedit Electionem, vel subiequitur. Si præcedat; facit, ut, obtento Superioris consensu, persona eidem subiecta liberè possit eligi & confirmari. Clariss. P. Schmalzgrueber ad h. t. n. 4.
- 205 **S**i sublequitur; efficit l. ut postulatus ante, quam licentiam habuerit à Superiore suo, nequeat in Postulationem consentire. Quòd si ante consenserit, consensus sic præstitus non tenet; & in poenam hujus præsumptionis Po-

stulatio ipsò facto viribus evacuatur. A. cap. si Religiosus &c.

Efficit II. ut postulatus vel ipsemet postulantibus debeant petere licentiam à Superiore, quamprimum fieri poterit, intra tempus, arbitrio Judicis moderandum: quæ licentia impetratâ, primum incipit currere mensis, ad deliberandum super Electionis acceptione concessus cap. quam sit 6. d. i. in 6. Et dictum est supra in cap. 1. n. 480.

CAPUT III.

De Translatione.

Tertius modus acquirendi dignitates Ecclesiasticas est *Translatio*, quæ, uti per frequenter cum Postulatione conjuncta est, ita primò, post illam, locò tractanda venit.

SECTIO I.

De Nomine, Definitione, & Jure Translationis.

SUMMARIUM.

1. *Etimologia Translationis.* 2. & seqq. *Homonymia.* 6. *Definitio.* 7. *Est assumptio.* 8. *Persona Ecclesiastica.* 9. *Ab una Prælatura ad aliam.* 10. *Legitime facta.* 11. *Translatio Prælatorum, Episcopò inferiorum, est Jure positivo tantum prohibita.* 12. *Probatum.* 13. *Translationem Prælatorum majorum Jure Divino prohibitam esse, innuit textus in cap. 2. §.*

& ult. h. t. 14. & seqq. *Responso quorundam contrarium.* 18. 19. 20. *Rationes pro sententia contraria.* 21. *Quæ rejecta, prior eligitur.* 22. & seqq. *Rationes contra prænotam rationem adversam afferuntur.* 26. 27. *Altera ratio opposita diluitur.* 28. 29. 30. *Instantia repellitur.* 31. & seqq. *Tertia ratio contraria superimittitur.*

§. I.

De Nomine Translationis.

- 1 **T**ranslatio, aliàs transpositio vel transmutatio dicta, in ordine ad hoc caput apud Emmanuelem Gonzalez, paulò post nominandum, diversimodè accipitur. I. pro transitu ab una Ecclesia ad aliam ad certum tempus; ut si Episcopus, cujus Sedes ab infidelibus est occupata, alteri Ecclesie vacanti eoque præponatur, quousque ex manibus infidelium amissa Sedes postliminò eripiat cap. postorali 42. VII. q. 1.
- 2 **I**l. pro transmutatione Sedis seu residentie; veluti si Episcopus vel alius Prælatum Ecclesiasticum residentiam suam ab uno loco ad alium, ab una civitate in aliam, transponat: qualem transmutationem neque ab Episcopis sine consensu Pontificio; neque à Prælatibus inferioribus absque consensu Episcopali fieri posse, patet ex cap. cum ex illo 1. h. t. cap. si quis 41. XVI. q. 7. & latius explicant Gonzalez in commentar. ad cit. cap. 1. n. 11. & König h. t. n. 13.

III. pro transpositione, seu promotione ad aliam Ecclesiam; vel, ut eam in commendam & custodiam obtineat; vel, ut eam cum priori & præhabita retineat cap. qui plures 3. cap. illud quoque sibi. XXI. q. 1.

IV. pro transmutatione unius Prælatum cum alia, adeò ut una relinquatur, & altera, jam vacans, accipitur. De hac agitur in can. 13. & 14. Apostol. & cor. hoc rit. Juris Can. de Translat.

Postrema acceptio nostro instituto familiaris, sed adhuc amphibia est. Nam considerari potest vel specificè, quatenus Translationem solius Episcopi & Prælatorum Superiorum comprehendit; vel genericè, quatenus Translationem aliorum quoque Prælatorum Ecclesie continet. In prima consideratione Translationem accipit rubrica cum subjunctis cap. X. h. t. de Translatione Episcopi. In secunda, tanquam effusiore, hic accipitur, &

Bbb 2

§. II.

§. II.

De Definitione Translationis.

6 D EFINIATUR Translatio, quod sit assumptio personae Ecclesiasticae ab una Praelatura ad aliam, legitime facta.
7 Dixi I. assumptio. In qua particula conspicitur generica convenientia Translationis cum Electione, Postulatione &c.
8 Dixi II. persona Ecclesiastica. Ubi iterum, communem indolem Translationis cum aliis modis acquirendi dignitates Ecclesiasticas sub aspectum exhibeo: quomodo parum enim Electione, tam parum Translatione potest secularis persona aut Infulis exornari, aut Pedalarotari.

Dixi III. ab una Praelatura ad aliam. Ut tandem specificam Translationis naturam intueri liceat, quae id singulari sibi vindicat, quod duas Praelaturas supponat, unam eam terminum a quo; alteram eam terminum ad quem fit promotio. Nisi ergo quis antea Praelaturam possederit, non transferri, sed eligi, postulari, aut nominari &c. dicitur.
Dixi IV. legitime facta. Subaudi secundum requisita, in sed. 2. de industria exentenda; quae, si defuerint, Translatio non minus est inutilis, quam actus alii, non legitime facti.

§. III.

De Jure, quod concessa vel prohibita est Translatio.

11 A Rdua hic controversia movetur: Divinod, an humanod jure Translationes sint prohibita; non quoruncunque Praelatorum, sed Episcoporum, Archi-Episcoporum, Patriarcharum &c. qui cum suis Ecclesiis factus conubii spiritualis pepererunt? Nam ceteros Praelatos solod jure positivod prohiberi, quod minus suae Ecclesiae valedicere, & ad aliam transferri possint, constat ex eo: quia nexum insolubile non habent cum suis Ecclesiis; neque perpetuod illas retinere coguntur, sed, accedente Superiorum consensu, liberod ab iisdiscedere queunt cap. Episcopus 37. Vll. q. 1. cap. Abbas 8. XVIII. q. 2. cap. aduonet 4. & cap. ult. de Renuntiat. cap. si Abbatem 36. de Elect. in 6.
13 Quoad Episcopos autem, & Praelatos alios, qui matrimonium spirituale habent, res intricata est. Quod enim jure Divinod eorum Translationes sint veritate, probatur efficacissimod ex cap. inter corporalia 2. h. t. ubi S. Pontifex a paritate conjugii carnalis, quod est inter virum & uxorem, argumentatur ad conjugium spirituale, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, atque ex eo, quod matrimonium carnale non possit humanad auctoritate dissolvi: quia, quod DEUS conjunxit, homo nequit separare, insert, nec matrimonium spirituale humanad potestate dissolvi: quia hoc carnali fortius, atque etiam Divinad conjunctione contractum, ab homine separari non potest. Similiter repetitur in cap. quanto 3. & cap. ult. h. t.
14 Nec dicere possis, hanc paritatem non univocod sed analogicod, neque tam in sensu literali, quam morali accipiendam esse; quasi nempe & carnale & spirituale matrimonium sit, quidem a DEO factum insolubile, non tamen eodem modod: cum matrimonium carnale a DEO immediatod, & proximod; spirituale verod tantum mediatod & remotod indissolutionem acceperit.
15 Contra siquidem est I. quia S. Pontifex in cit. cap. paritatem suam in eo collocat, quod, sicut matrimonium carnale ab homine separari non potest: quia, juxta Divinum effatum,

DEI ordinatione illius vinculum coaliit; ita & spirituale matrimonium ab homine dissolvi non possit: quia etiam Divinad ordinatione colligatum est. Atqui paritas non esset, si matrimonium spirituale solud a DEO mediatod, & immediatod ab homine fuisset inductum: quia tunc axiomad contrarium verificaretur: quod immediatod homo conjunxit, immediatod ab homine separari potest.
Contra est II. quia S. Pontifex expressod in 16 eod. cap. asserit, dubitari non debere, quin omnipotens DEUS spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum & feminam, suo tantum judicio reservavit, precipiens, ut, quos DEUS conjunxit, homo non separet. Sed Divino iudicio in veritate reservatum dici non potest, quod a DEO non immediatod dispositum est: sicut iudicio S. Pontificis in veritate non dicitur reservatum, quod immediatod ab ipso non est dispositum, seu in quo alius concurrentem habet potestatem: Ergo &c.
Contra est III. quia, quod Divinad magis, 17 quam Canonica institutione introductum est, illud non immediatod ab homine, seu Legislatore humano, sed immediatod a DEO constitutum noscitur. Sed Translatio Episcoporum non tam constitutione Canonica, quam institutione Divina (verba sunt Innocentii III. in praelleg. cap. inter corporalia) soli Romano Pontifici reservata est. Ergo &c. Haecque est sententia Vasquezii, quem citat Barbosa in Collect. ad. ad. cit. cap. n. 6. Fagnani in idem cap. num. 62. & seq. Nec aliena videtur a mente Clarissimi P. Schmalzgrueber h. t. sub n. 2.
Quod est contrariod solod jure positivod Translationes Episcoporum interdixit: sint, si auctori potest I. quia in SS. Literis nihil de perpetuo atque insolubili officio Episcoporum esse statutum reperitur: & ided potius humanae & Pontificiae, quam Divinae dispositioni, Episcoporum Translatio subjacere videtur. II. 19 quia non rarod sed saepius ejusmodi Translatio-

nes permittuntur a Pontifice: quod tamen permitti non posset, si vinculum conjugii spiritualis, sicut conjugii carnalis, auctoritate Divina coaluisset: cum, quod DEUS conjunxit, nequeat homo dividere. III. quia & hoc quotidie praedictari videmus, quod unus Episcopus habeat plures Episcopatus. At, si vinculum & ligamen, quod Episcopus alligatur suae Ecclesiae, proveniret a DEO immediatod, non posset Episcopus, dispensante quoque Summo Pontifice, plures Ecclesias habere, sicuti nec unus maritus, connivente Pontifice, potest plures uxores habere: quia videlicet impedimentod ligaminis uni jam adstrictus est. Ergo &c. Et haec sententia est Panormitani in cit. cap. inter corporalia n. 6. Barbosa ibid. n. 6. Gonzalezii in cap. cum ex 1. eod. tit. n. 16. atque ab aliis Interpretibus communis tenetur.
21 Si tamen ponderanda, non numeranda sint sententiae, prout vulgatum docet adagium, priorem posteriori sententiae antepono. Nam textus Innocentii III. clariores sunt, quam ut explicationem adversam patiantur. Rationes verod ad eum contentenda non sint, contra quam tamen solutionem non refugiunt.
22 Primam quod concernit, inprimis ex eo non concludit: quia necesse non est, illud, quod DEUS praecipit, aut prohibuit, in terminis terminantibus in Sacris Bibliis esse conscriptum, dummodod exinde a S. Pontifice, qui genuinus & authenticus Divini Verbi interpres est, deducatur.
23 Deinde Actio. 20. §. 28. matrimonium insolubile Episcopi cum Ecclesia non obicitur eximprimit, quando Apostolus, loquens ad Episcopos, ascendit, inquit, vobis & univobis gregei, in quo vos Spiritus S. constituit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo. Praeter haec Jo. 10. sub parabola boni Pastoris graphicod delineat Incarnata Sapientia Episcoporum officium, distinguendod pastorem bonum a mercenario per hoc, quod ille vigilem oculum super gregem gerat, oves suas cognoscat, ac animam pro illis ponat; iste verod, in super habitad ovium curad, tempore necessitatis fugiat, ac veniente lupod oculos in praedam cedat. Supponitur itaque obligatio vinculi spiritualis, quod custodiendod pastorem bonum a mercenario per hoc, quod ille vigilem oculum super gregem gerat, oves suas cognoscat, ac animam pro illis ponat; iste verod, in super habitad ovium curad, tempore necessitatis fugiat, ac veniente lupod oculos in praedam cedat. Supponitur itaque obligatio vinculi spiritualis, quod custodiendod pastorem bonum a mercenario per hoc, quod ille vigilem oculum super gregem gerat, oves suas cognoscat, ac animam pro illis ponat; iste verod, in super habitad ovium curad, tempore necessitatis fugiat, ac veniente lupod oculos in praedam cedat.
24 pro libitu eas deserere potest. Insuper D. Ambrosius lib. 2. in cap. 2. Luca circa mod. historiam de pastoribus, nuntium de Christi adventu per Angelum accipientibus, analogicod elucidatur, grex, ait, populus, non saeculum, pastores sunt Sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pastor, cui dicitur: esto vigilans, & confirma. Quia non solud Episcopus ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelus destinavit.
26 Secunda ratio solutionem recipit ex dictis in rati. de Jure Legali cap. 3. n. 76. quod utique S. Pontifex possit dissolvere ligamen Episcoporum, veluti dissolvere potest ligamen sponsorum de praesenti in matrimonio rato: inde tamen non mutari Jus Divinum formaliter & directod, sed tantum materialiter & indi-

rectod, sicut accidit in matrimonio rato, de quo in eod. rati. cap. 2. n. 185. Ratio ex eod. 27 cap. n. 179. repetenda est: quia, quando materia Juris Naturalis vel Divini pendet a potestate humana, potest Jus Naturae vel Divinum indirectod & materialiter transmutari ab ipsa humana potestate. Atqui vinculum ligaminis est quidem ordinatione Divina, praevia tamen & libera Episcopi ac Papae voluntate & determinatione, inductum. Ergo Jus Naturae vel Divinum de tenenda individua cohabitatione cum Ecclesia, habet pro materia humanam determinationem, & hoc ipso dispositioni Ecclesiae subiectam. Ergo si S. Pontifex determinationem illam irritet, tollitur vinculum ligaminis, nec tamen infingitur Jus Divinum, ut quod obligare desinit in illa circumstantia, quando voluntas & determinatio, de servanda perpetua cohabitatione, irritata fuisse supponitur.
Instabis: matrimonium carnale consummatum ex recepta sententia nullam fert dissolutionem. Sed Episcopi cum sua Ecclesia post consecrationem censentur habere matrimonium spirituale consummatum cap. ult. h. t. quin & post confirmationem idem vinculum contraxisse dicuntur, quod habent post consecrationem d. cap. inter corporalia &c. Ergo nullam fert dissolutionem: quia in eod. cap. matrimonium spirituale fortius quam carnale pronuntiat.
Resp. hanc instantiam Adversarii quoque 29 solvendam esse. Sive enim immediatod, sive mediatod fuerit a DEO matrimonialis nexus inter Episcopum & Ecclesiam colligatus, argumentum, quod dicit Pontifex a matrimonio carnali ad spirituale, semper stringit. Omissis igitur aliorum solutionibus Resp. cum 30 Gonzalez in commentar. ad cap. cum ex 1. h. t. num. 16. & Schambogen eod. tit. n. 6. quanto S. Pontifex matrimonium carnale & spirituale quoad dissolutionem inter se comparat, id non fieri respectu ipsius Pontificis, sed respectu Episcoporum, qui non magis matrimonium ratum quam consummatum dissolvere possunt: cum, ut loquitur ibidem Innocentius, haec dissolutio Pontifici Romano, in concilio f. Jesu Christi, fuerit reservata; idque in matrimonio spirituali indistinctod, sive ratum, sive consummatum sit: utpote cum consummatio juxta cit. cap. inter corporalia nihil quoad rationem vinculi superaddat.
Tertia ratio, in num. 20. proposita, cum aliis 31 qua distinctione diluitur. Potest nempe Ecclesia, qua cum Episcopus est matrimonialiter copulatus, considerari materialiter & in hypothesi, vel formaliter & in thesi. Considerata materialiter dicit certum districum & numerum fidelium, quorum eorum & regimem Episcopus suscepit. Considerata formaliter abstrahit a certo districu & numero fidelium. Jam ergo, sicut Pontifex materialiter fundavit 32 Episcopatus, ac cuiusque suum districum & numerum subditorum assignavit; ita potest Episcopatus materialiter immutare, ac modod

majorem, modò minorem sphaeram Jurisdictionis Episcopo assignare. Quòd si ergo dispensative concedat, ut unus Episcopus duas habeat Ecclesias, tantum concedit, ut habeat Ecclesias materialiter duas, hoc est, plures numero fideles, non etiam, ut habeat Ecclesias formaliter duas: quia ex duobus Episcopatus quodammodo fit unus, sicut ex

duobus Regnis quodammodo evadit unum, quando unus utriusque praesit. Neque Jus Divinum hoc pacto mutatur formaliter, sed tantum materialiter. Quod seorsus est in matrimonio carnali, ubi, cum S. Pontifex non habeat Jus in corpora humana, nequit efficere, ut uni liceat duas habere uxores.

SECTIO II.

De Requisitis ad Translationem.

SUMMARIA.

35. Ad Translationem opus est auctoritate Superioris. 36. Episcopos transfert S. Pontifex. 37. & seq. Praelatos inferiores transfert Episcopus. 39. Aut Capitulum Sede vacante. 40. & seq. Opus est etiam iustitia causa. 45. & seq. An valeat sine causa? Disputatur. 47. Insuper

opus est consensu transferendi. 48. & seq. Invidius, extra casum necessitatis aut utilitatis publicae, non transfertur. 53. & seq. Demum opus est, ut translatio fiat à minori ad majorem dignitatem. 57. Ex dispensatione potest aliud fieri.

§. I.

De Auctoritate Superioris.

35. AD hoc, ut ritè fiat Translatio, plura requiruntur. Primum est Auctoritas Superioris, sine qua, si Episcopus transeat, utraque Ecclesia privatur cap. quàm 3. h. t. Sin alius transeat, communione tandiu privatur, donec redierit; & si successor interea in prima fuerit Ecclesia substitutus, non potest de fungi officio, quàm diu ille successor vixerit. cap. si quis Presbyter 24. VII. q. 1. Krimer h. t. num. 205. 2. & 2. seqq. 36. Episcopos & Praelatos majores transfert de Jure solus Pontifex. Textus stringentes in cap. 1. 2. 3. & 4. h. t. Ratio est: quia potestas, in Jure Divino (materialiter) dispensandi, de Jure soli competit Romano Pontifici, ut pote cui, tanquam Vicario Christi, solummodo claves Caelorum, & eminentis illa ligandi solvendi que potestas est commissa.

Inferiores Praelatos potest transferre Episcopus; vel, si exempti sint, Sedis Apostolicae Legatus. Textus in num. 12. jam produximus. Ratio est: quia ligamen spiritualis; & connubiales Praelati non habent. Ergo ratio nulla obstat, quò minus Episcopus, vel Legatus Apostolicus, sicut illorum tam institutiones & deinstitutiones facere, quam resignationes acceptare, sic & illos ad alias Ecclesias transponere valeat.

Possintne Capitulum Sede vacante Praelatos inferiores transferre? Aliqui cum Glossa in cap. cum olim 14. de M. & O. insistant. Ego affirmativam verissimam sentio, quia Translatio non est actus alienationis, ut illi putant arg. cap. si Religiosus 27. de Elect. in 6. sed jurisdictionis per d. cap. cum olim, in quam Capitulum succedit. P. König h. t. sub n. 9. P. Schmalzgrueber n. 5.

§. II.

De Iustitia Cause.

40. ALTERUM Translationis requisitum est iustitia causa, quae duplex. utilitas & necessitas cap. mutationes 34. cap. si quis frater 35. cap. si quis alterius 39. VII. q. 1. Utilitas est, quando spes majoris fructus & lucri spiritualis in Ecclesia, ad quam aliquis transferretur, quam in Ecclesia, à qua transferretur, subest. Necessitas est, quando Praelatus nequit amplius convivere suis ovibus, aut propter aëris intemperiem; aut propter incursum & occupationem hostium; aut ob persecutionem ipsorum subditorum. Gonzalez ad cap. cum ex illo 1. h. t. n. 13. Pignatell. tom. 4. consilii. 137. num. 18. & 19. Et haec causa, priusquam admittatur Translatio, debent esse probatae; & quidem, si Episcopus sit invitus (de quo in num. 51.) concludentes ac rigorose probationes; sin autem sit volens, cum nemini tunc

fiat injuria, leviores desiderantur. Pignatell. d. l. n. 21. An valida sit Translatio Episcoporum, quae sine causa necessitatis aut utilitatis peragitur? Latè disputat Fagnanus in cap. quàm 3. h. t. à num. 58. sententiam negativam affirmativam in num. 74. praesertendò. Cujus principalis ratio est: quia dispensatio, quae Jus Divinum immutat, absque causa subsistere nequit: in tantum enim à Christi in terris Vicario relaxari potest vinculum Divinae Legis, in quantum DEUS consentire praesumitur. Sed DEUS absque causa nil agit, nilque de sua ordinatione sine ratione relaxat. Ergo &c.

Huic disputationi me impraesentiarum non addimmitto, sed ad dicta de Jure Legali cap. 5. à num. 261. me remitto; firmiter mihi cum Fagnano cit. num. 74. persuasum habens, casum

sum vix evenire posse, in quo Translationem sine iustitia causae permiserit Pontifex: quia in negotiis majoris momenti, quale utique

est Episcoporum Translatio, magna cum circumspectione & maturitate consuevit procedere.

§. III.

De Consensu Transferendi.

47. TERTIUM requisitum est consensus personae, de cujus Translatione agitur. Sicut enim spirituale conjugium, vel quasi, in modum carnalis, per mutuum consensum cum nova Ecclesia contrahitur, ut loquitur textus in cap. cum inter 21. de Elect. ita sine mutuo consensu matrimonium cum antiqua contractum Ecclesia distrahitur nequit arg. l. nihil 35. ff. de R. J. & cap. omnis rei 1. X. eod. juncto cap. quàmvis 14. in 8. alium locò ejus (nisi recusante eo) nulla sine ratio ordinari VII. q. 1. 48. Num Episcopus invitus & nolens ab una Ecclesia possit ad aliam auctoritate Pontificia transferri? Multam & longam velitationem apud Fagnanum cit. l. à num. 14. Reiffensuel h. t. à n. 20. faciunt DD. in tres classes separata. Prima est eorum, qui negant absolute. Altera eorum, qui absolute affirmant. Tertia eorum, qui distinguunt, an causa necessitatis vel utilitatis publicae transferendi subiciatur, vel non? 49. Cum ultimis signa conferre placet, ac cum P. König h. t. n. 6. P. Schmalzgrueber ibid. n. 6. concludere, quòd, nisi causa necessitatis vel utilitatis publicae succurrat, nequeat S. Ponti-

fex nedum Episcopum, sed & alium ex Praelatis inferioribus transferre. Ratio ex tract. de Jure Leg. cap. 1. §. 5. à n. 194. emutanda est: quia Summus Princeps, sive Saecularis, sive Ecclesiasticus sit, non accipit à DEO potestatem, jus tertio quantum sine rationabili causa adimendi. Sed Praelati Ecclesiarum, postquam legitime electi & confirmati sunt, habent jus quantum ex cap. 1. n. 481. & n. 520. Ergo &c. Quòd si casus necessitatis vel utilitatis publicae eveniat, tunc, sicut jus tertio quantum auferri potest: quia privata utilitas cedere publicae, & factura particularis conservationi Reipublicae inservire debet; ita & Ecclesiarum Praelati jus suum dimittere, & Ecclesiarum emolumentum commune singulari commodo preferre tenentur. In specie potest Episcopus contra voluntatem suam transferri, quando populi malitia est tanta, ut, si nullus culpa videatur reus, non amplius eidem obtemperare velit: publicè siquidem interest, ut evitentur scandala, & Episcopus ad alium Episcopatum, in quo majorem utilitatem praestare valebit, promoveatur. Pignatell. tom. 4. consilii. 137. n. 20.

§. IV.

De Transitu à minori ad majorem dignitatem.

53. QUARTUM requisitum Translationis est, quòd debeat fieri transitus à minori ad majorem Ecclesiam per cap. cum ex illo 1. & cap. ult. h. t. Nam neque decorum est Statui Ecclesiastico, ut, qui major erat in dignitate, minoretur d. cap. cum ex illo &c. Neque translato honorificum, cujus nomen ex suspicionem avaritiae, quae principalis amore commodi temporalis quam boni spiritualis ad minorem Ecclesiam descendisse praesumitur, obsecratur. Panormit. in d. cap. ult. h. t. num. 16. 55. Neque fini Translationis est conforme, ut major utilitas, quae in Translatione ad dignitatem majorem operatur, per Translationem ad minorem impediatur. P. Krimer h. t. n. 2043. & seq. 56. Quae causa est, quòd, licet aliàs, cui plus concessum est, minus etiam concessum esse

conferatur cap. cui licet 53. de R. J. in 6. attamen in materia Translationis, qui licentiam est nactus, ad Ecclesiam majorem transeundum, ad parem vel minorem transire nequeat: quia major est convenientia in transitu ad majorem, quam ad minorem Ecclesiam; & idè concessio transitus ad minorem dignitatem non facilius fed difficilior est. Panormitan. d. l. n. 8. Schambogen h. t. n. 13. Ex hoc tamen inferri non velim, quòd ex speciali indulgentia Pontificis, concurrente legitima causa, fieri non possit transitus à majori ad minorem vel parem Ecclesiam: contrarium quippe saepius accidisse, cum hodierna experientia testantur textus in cap. pastorali 42. VII. q. 1. cap. ad supplicationem 9. de Renuntiati. P. Reiffensuel ad h. t. n. 8. P. Krimer ibid. num. 2051.

SECTIO III.

De Effectu Translationis.

SUMMARIA.

58. & seq. Recensentur effectus generales Translationis. 61. An agitur effectus specialis Translationis Episcopalis. 62. Dignitates Praelatorum inferiorum incipiunt vacare post adeptam

possessionem pacificam. 63. Item & beneficia Episcoporum, quae prater Episcopatum habent. 64. & seq. Iste tamen Episcopatus mox vacat à die concessa Translationis. 68. Suppositio, quod Episco-